

DE IUDAEIS ET CAELICOLIS.

1.9.1

Imp. Antoninus A. Claudio Tryphonino.

Quod Cornelia Salvia universitati Iudeorum, qui in Antiochensium civitate constituti sunt, legavit, peti non potest.

D. prid. k. Iul. Antonino A. III et Balbino consss.

[a. 213]

2 'Ο κοάτιστος τοῦ ἔθνους ἡγούμενος
ταῖς σωματικαῖς ὑπηρεσίαις τῇ τῆς θρησκείας ἡμέρᾳ,
καθ' ἣν ἀργεῖν εἰώθατε, μὴ ἐνοχλεῖσθαι ὑμᾶς προ-
νοήσει.

id est:

Potentissimus populi rector curabit, ut cultus die, quo vacare
soliti estis, corporalibus muneribus non inquietemini.

1.9.3

Imp. Constantinus A. ad Euagrium pp.

Iudeis et maioribus eorum et patriarchis volumus intimari, quod,
si quis post hanc legem aliquem, qui eorum feralem fugerit sectam
et ad dei cultum respexerit, saxis aut alio furoris genere, quod nunc
fieri cognovimus, ausus fuerit attemptare, mox flammis dedendus
est et cum omnibus suis participibus concremandus.

D. XV k. Nov. Murgillo Constantino A. III et Licinio IIII consss.

[a. 315]

1.9.4

Impp. Valentinianus et Valens AA. Remigio magistro officiorum.

In synagoga Iudaicae legis velut hospitii merito inruentes iubeas
emigrare: quos privatorum domus, non religionum loca habitationum
merito convenit attingere.

D. prid. non. Mai. Treviris Valentiniano et Valente AA. consss. [a. 368? 370? 373?]

1.9.5

Impp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. Hypatio pp.

Iussio, qua sibi Iudeae legis homines blandiuntur, per quam eis
curialium munerum dabatur immunitas, rescindatur.

D. XIII k. Mai. Mediolani Merobaude II et Saturnino consss.

[a. 383]